

Upsala U.  
*ant. 1665*

*ty. Nec ad partem Nominalem  
vel Realem pertinet &*

Q. F. E. Q. S.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

ABSTRACTIONE  
ET CONCEPTU,  
EORUMq; USU,

*Quam*

Consensu & adprobatione Amplissimæ Facult.  
Phil. in Reg. Acad. Aboënsi;

P R Æ S I D E

VIRO *Praclarissimo*

DN. M. MARTINO MILTOPOEO,  
Eloq. Prof. Ordinario, fautore & promotore  
suo atatem colendo;

*Ad publicum Examen defert, MAGISTERIE PHILOSOPHICÆ  
honores aditurus*

PETRUS SVEN. PLATINUS, Smol.  
S. R. M. Stip.

*In Audit. Max. 24. Oct. 1665 horis ab 8. antemerid.*

A B O Æ,

---

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

34

DISERTATIO PHILOSOPHICA

ABSTRACTIONE  
ET CONCEPTU  
FORMAE USU.

Consensus & adprehensiones Aristotelis & Averrois  
in hunc modum: Abstr. & Conceptu.

PARTE  
I. & II.

DAVID MARTINO MILITONEO  
Phil. Doct. Christianae, Astronomiae & Mathematicae  
in Academia Helvetica.

Ad Praefationem & adprehensionem  
in hunc modum: Abstr. & Conceptu.

ET TRACTATUS DE  
ABSTRACTIONE & CONCEPTU

FORMAE USU.

AD PRAEFATIONEM & ADPREHENSIONEM  
IN HUNC MODUM: ABSTR. & CONCEPTU.



D. CALOV. GNOT. part. 1. c. 5. can.  
2. p. m. 16.

Abstractione consequimur ve-  
ritatem: conceptu posside-  
mus eandem.

πρῶτον.

§  
I.



**D**E Abstractione & conceptu,  
ex verbis supra citatis occasione  
sumpta, acturus; animam no-  
stram vi intelligendi gaudere, &  
multa distinctè cognoscere pos-  
se cum Philosophis facile sup-  
pono: de eo nec dubitans quin  
in rebus ipsis detur aptitudo quædam, qua res sub con-  
ceptu proprio intellectui nostro representari, eumq; in  
cognitione mensurare, aptæ natæ sunt. Si quis enim  
res omnes in naturâ existentes mentis examinet trutinâ,  
cognoscibiles eas deprehendet singulas. Datur enim  
ens increatum, sed eius quoq; cognoscibilitas, quod à  
posteriori ex actuali Gentilium cognitione & tot  
eorum de Deo rebusq; divinis, effatis, ut alia mittam, sa-  
tis liquet. dantur quoq; entia creata, sed non nisi cognos-

A

scibilia

scibilia, quod experientia ipsa satis comprobat. undè etiam est quod *intellectus* dicitur *intelligendo omnia fieri*, non quidem *essentialitèr* & *secundum esse reale*, quasi res ipsa materialitèr accepta in intellectum mutaretur, ita namq; intellectus intelligendo lapidem, fieret lapideus; sed *idealitèr* & *per modum*, ut loquitur B. Sperlingius, Syn Anthrop. p. m. 38: *similitudinis & receptionis specierum*, quia species spirituales, entia extra mentem repræsentantes, recipit.

II: Res a. nō tantū cognoscibiles sunt, sed etiam intellectum nostrum in cognitione sui, ut supra dictum est, mensurant. Quod mensuræ genus Gutkius hab. princ. primor. p. 1. c. 4. th. 1. Geilfusius intell. pag. m. 53. fundamentale vocant. Transcendentalitèr quidem res (quo etiam intellectus *entitativè*, *liceat nobis Philosophica tractantibus cum Philosophis loqui*, consideratus spectat) veræ sunt, quando congruunt cum intellectu & quidem divino, prout nempè hic præscindit ab istis modis determinatiōibus cognoscendi & normandi: ut ex Schraffio loquitur Exc. Thuronius, comp. Met. p. 123. intellectus verò humanus in cognoscendo verus est, quando ipsi rei conformatur; quod tum contingit, quando intellectus rem intra se concipit idealitèr, pro ut realitèr in se est & statu suo objectivo. intellectus proindè humanus veritatis in cognoscendo mensura cōstitui nequit, quia 1. falli potest; at mensura erit infallibilis, alias ab errore id non erit immune, quod ex eā tanquam principio educitur. imo 2. intellectus seu potius idea intelligibilis esse suum habet à re, dependentiā scilicet objectiva, non verò res ab intellectu. Rectè enim Philosophus: *Non propterea quod nos putamus te album esse, tu albus es, sed propterea quod tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus*

*dicimus*. 3: res fierent mutabiles & ad nostrum concipiendi modum sese accomodarent; quod absurdum. sed ad institutum propius.

III: Cum verò intellectus noster res omnes in individuis cognoscere nequeat, partim quod hæc respectu nostri infinita sint, nemo enim fuit, qui omnia individua enumerare potuit, nec erit: partim quod pleraq; concreta & composita sint, ubi uni plurima coniunguntur: undè etiam multiplices varioſq; involvunt conceptus, & menti nostræ confusè se offerunt: distinctè proindè ut concipiantur, in subsidium vocandæ sunt intellectus nostri operationes, *ABSTRACTIO* scilicet, quā rem à re præcisam dum apprehendimus, veritatem, ut supra D. Calovius, consequimur; & *CONCEPTUS*, quo dum scibile in mente (cum hæc, res ipsas intuendo, nec penetret, nec easdem cognoscendo sibi immitat) repræsentatur, veritatem possidemus. Hanc ergò de Abstractione & conceptu materiam loco speciminis publici ad mandatum *Amplissima Facultatis Philosophica*, sub incudem disputationis revocare animus mihi est. Sit itaq; **BONO cum DEO**

### I: DE ABSTRACTIONE

IV: Abstractio dicitur ab abstrahendo: *abstrahere* verò generatim, secundum Scheiblerum *op. Log.* p. m. 25. *est nihil aliud quam apprehendere vel cognoscere unum sine alio*. vel secundum Red. Baranzanum: part. 1. sum. phil. disp. 3. q. 3. *Abstrahere est terminare cognitionem ad unum, non cognitū his, qua cum eo sunt coniuncta*.

V: Abstractio, de quā hic primariò agendum; non est 1: *Grammatica*, secundum quam ex quorundam opinione abstractum dicitur esse nomen substantivum; concretum verò adjectivum. Hanc acceptio-

B 2 nem

rem falsam, impertinentem & ab usu remotam iudicat B. Meisnerus phil. sob. p. 1. f. 4. c. 5. p. m. 1069. partim propterea, quod vocabulum Christi redemptoris, mediatoris &c. ex eorum opinione non sit concretum, cum adiectivum non sit, contra Theologorum placita: partim etiam hoc nomine, quod in categoriâ substantiarum nulla darentur concreta, sed mera abstracta, contra communem Philosophorum sententiam. Nec 2: *Logica*, prout scilicet in scholis communiter tradi solet, quâ abstractum formam simplicem absq; connotatione subjecti significat, ut temperantia &c. cui opponitur concretum, quod formam cum subjecto connotat. Estq; interdum substantivum, ut homo: interdum adiectivum ut doctus, albus &c. Hæc abstractio dicitur aliàs prædicationis, v. G. fortitudo est virtus, Physica est scientia, &c. quæ propositiones dicuntur logicis prædicationes in abstracto.

VI: Nec 3. *Physica*, quæ est distractio & realis quædam separatio (ab illâ abstractione, cuius mentio §. XIX fit, distincta) quâ V. G. anima à corpore separata, ramus ab arbore dissectus &c. dicuntur abstracta. Nec 4. *Theologica*, (quam Mejerus Gnost. p. m. 144. Scholasticam dicere mavult, etsi B. Meisnerus Ph. sob. p. m. 1078. quem Valentinus Frommius Gnost. p. 41. sequitur, inter has duas abstractiones distingvat) quâ Theologi abstracta naturarum ab abstractis personæ in loco de filio Dei distingvunt. Nec 5: *Sensualis*, speciei scilicet sensibilis ab objecto sensitivo, quâ sensus suum apprehendunt objectum, cæteris, quæ ei adhærent, dimissis, sic v. g. oculus colorem pomi ab eiusdem odore & sapore abstrahit, quia his minimè perceptis sentit illum; odoratus vice verâ à reliquis abstrahit odorem, quem percipit tantum.

VII:

VII: Sed 6. *intellectualis*, non tam *Negativa*, per quam cognoscimus rem remotione eorum, quæ non insunt eidem, ut: arbor non est leo. *Qua indagandi conceptum formalem ratio cum primis locum habet in ente perfectissimo, nec non entibus infima conditionis, quando facilius est dicere, ut loquitur D. Calovius Gnost. p. m. 14. quid non sint, quam statuere quid sint; Quam Præcisiva*, quâ intellectus ex duobus vel pluribus sive coniuncta sint, sive non, alterum distinctæ cognitionis gratiâ tantum apprehendit.

VIII: Abstractionis hujus Synonyma sunt: *Abstractum* sed nominaliter acceptum; *Separatio*, terminus in foro Philosophico non adeò usitatus; addunt alij *præcisionem*, quod tamen M. Mejerio Gnost. p. m. 147. placet minus: abstractionem enim præcisione latiore dicit. sequitur abstractionis *ratio formalis*:

IX: *Abstractio* est operatio intellectus, quâ res à re præcisâ liberatur à conditionibus individuantibus vel imperfectionibus accidentibus, & è statu singulari in universalem vel eminentem deducitur, ut distinctè cognoscatur.

X: *Conceptus* in datâ definitione *latior* est operatio intellectus. Hæc enim non tantum de essentia, ut ex effectu patet, abstractionis est, sed etiam eâ latior, pluribusq; quam abstractioni, utpotè apprehensioni reiscibilis conveniens. *Conceptus* verò *strictior* desumitur a. à principio, quod est intellectus. β. ab objecto, quod ens est, sed generalissimè accipiendum; per abstractionem enim considero privationem non considerato subiecto. γ. ab effectu, qui est vel *immediatus* vel *mediatus*; uterq; in definitione exprimitur. δ. à Fine, distinctâ scilicet distinctorum cognitione. confer Mejerum in Gnost. p. 147. hæc fusius persequentem.

XI:

XI. Hujus abstractionis beneficio ideam in latissimo (adæquato tamen) conceptu eruiamus, ut rem sub proprio conceptu sistamus. idea autem h. I. nihil est aliud quam ratio ab intellectu concepta, in intellectu quodam multis commune exhibens: Et rem in ideâ considerare est in universali & definitivè eandem expendere. Quod priusquam fieri possit, ab intellectu nostro duo adhiberi debent media. 1. *Comparatio multorum Singularium.* 2. *abstractio præcisiva natura communis à differentijs contrahentibus.* Notum namq; est ex Habitu primorum principiorum, rerum quandam proportionem, quâ res propter summam affinitatem ad se invicem referuntur, citra controversiam dari. de creaturarum proportionem non dubitatur, cum ad se invicem referantur tum ratione propriarum quidditatum, tum ratione quidditatum omnibus communium. Vide Geilf. intell. p. 17. & 18. Proportionem verò inter creatorem & creaturam arguunt communia prædicata, quæ utriq; insunt & attribuuntur, qualia sunt: Ens, unum, verum, bonum, causa, substantia, &c. Creatura enim creatori nec omninò dissimilis (*sic enim non Ens esset*) nec eidem planè similis est. Hæc proportio occasionem & fundamentum præbet illi comparationi, quam intellectus noster inter singularia in formatione universalis conceptus instituit, dum enim plura singularia inter se confert, hæc in aliquo convenientiam & affinitatem inter se habere animadvertit, quam dum abstrahit, cæteris omnibus quæ in singularibus inveniuntur, ut: materiâ, accidentibus, loco, tempore, &c. prætermittis, naturam quandam communem habet. Confer §. XXXII.

XII: Sed res ad se invicem conferentes deprehendimus

mus à plerisq; abstrahi posse universalem conceptum: dari tamen rem maximè singularem animadvertimus de quâ ideam aliquam universalem. (ad quam illæ res tantum, ut ante dictum est, aptæ sunt, quibus non repugnat multiplicabilitas) formare non possumus *ob defectum scilicet conditionum singularium ex summâ simplicitate: ob negationem signi formalis entis infiniti formalitatem representantis sufficienter ex perfectione ab intellectu finito incomprehensibili: ob deniq; repugnantiam communitatis ad multa & universales conceptus ex unitate simplicissimâ:* vide D. Calovium Gnost. p. 14. & Nol. p. 79. res hæc singularissima Deus est, qui tamen conceptu aliquo est exprimendus, & à nobis, quoad fieri potest, cognoscendus, non quidem tantum, ut intellectus omnia scire desiderantis, satisfiat desiderio, sed etiam ut creatura creatorem suum non ignoret. Quando verò huius ideam menti sistere intendimus, in statum eminentiæ eandem ratione representationis intellectualis oportet evehamus, ut nempe omnes ab eo imperfectiones removeamus, perfectiones verò eminentissimâ ratione ipsi adscribamus & adsignemus. *Rectè proinde definita est abstractio disjunctè, quod sit rei singularis in statum universalem vel eminentem deductio.* Quam ob causam D. calovius & Mejerus ideam distinguunt in *universalem*, quæ à singularibus, in quibus multiplicatur, præscindit; & *singularissimam*, cum repugnantia communitatis ad plura. quomodo v. hæc de Deo idea per analogiam se. conficienda sit, videantur Gutkuis, hab. prim. princ. p. Gen. c. 4. Th. 4. Val. Frommius Gnost. p. 55. & Mejerus. *Sed in his & similibus caute & sobriè, monitore eodem Frommius, versemur, ne quid rebus divinis & mysticis solidè affingamus.*

XIII: Ex his, quæ adducta sunt, patet, abstractio-

nem

nem, de qua hic agimus, non esse *sensus communis*, hic enim a differentiis singularibus naturam communem nunquam fecerit, nec eandem in plures ejusdem rationis multiplicat. Nec 2: *Phantasia*, cum hæc in singularibus semper versetur, dum hoc cum illo componit, & hoc ex illo separari aut quasi nasci fingit. Nec 3: *potentiarum appetentium, voluntatis aut appetitus sensitivi*: quia voluntas unum relicto altero non percipit cognoscendo per abstractionem, ut intellectus; sed appetit tantum unum relicto altero per electionem & aversationem. deinde appetimus res pro ut sunt in seipsis, apprehendimus autem ut sunt in nobis. Nec 4: *rei intelligibilis productio*; nam *abstractio*, verba sunt Henrici Nicolai, Tract. de cogn. hum. §. 8. cit. Mejero, *est rei cognoscenda* (non productio, sed) *ab omni cognoscendi impedimento intellectualis defecatio*; Et medium quoddam, quo producitur species intelligibilis, non res ipsa; aliàs Deus E. G. produceretur, quando cognoscitur: Quod absurdum. Nec 5: *Formalis rei ratio*; hæc enim rei intrinseca; abstractio verò secus.

XIV: Nec 6: *Principium disciplinæ constituens, & a se invicem primario distinguens*: abstractio enim nihil est aliud quam externum objecti formalis scientifici indicium, quod a posteriori tantum illud limitat, non a priori & formaliter constituit. Rectè proinde Gutkii: hab. prim. prin. p. spec. c. 5. th. 2. & disp. 2. de nat. objecti Ax. 3. *Abstractio non est causa formalis objecti, sed externum saltem indicium objecti constituti*. Hæc enim, verba sunt Geilfalij intell. p. 61. *tanquam mentis functio pura non constituit objectum, nec id ab affectionibus & speciebus distinguit* (objectum enim E. G. Metaphysicæ abstractum est secundum indifferentiam, sed eodem modo adfectiones, unum

unum verum, bonum &c.) *sed est medium, quo erimus objectum*. *Scientia ergo distinguenda per subjecta sunt*, ut habet B. Sperl. med. de subt. p. 67. *non per diversos abstractendi modos: subjecta ipsis dant essentiam, dant differentiam; ubi spectanda duo, materiale & formale: hoc dat esse rei, dat distingui*. imo: sub unâ abstractione multæ comprehenduntur scientiæ, (ut in Mathesi) quæ eundem habent abstractionis modum. Et quamvis abstractio scientias aliquo modo discernat, non tamē eandem propterea constituit, nam risibilitas & loquela hominem a bruto discernunt, non tamen hominem constituunt formaliter.

XV: Abstractio, quoad naturam objectorum, (aliàs enim, & fortè non incommodè, in eam quæ est rerum vel disciplinarum cum Alstedio in genere dispelci posset, conf. §. XXII) constitui solet quadruplex: vel enim Abstrahit 1. *secundum indifferentiam*; estq; *Metaphysica*: vel 2. *secundum essentiam*; estq; *pneumatica*: vel 3. *a materiâ signatâ seu singulari*; estq; *Physica*: vel 4. *a materiâ singulari simul & universali*; estq; *Mathesios*. alijs placet hæc divisio: Abstractio alia est *secundum rem seu essentiam*, ut *Pneumatica*: Alia *secundum rationem*, quæ iterum est vel 1. *secundum indifferentiam*, ut *Metaphysica*: vel 2. *a materiâ signatâ seu singulari* ut *Physica*: vel 3. *a materiâ singulari & universali*, ut *Mathematica*: Addunt recentiores 4. eam, quæ *secundum universale-subjectum est*, & dicitur *Ethica*.

XVI. Ut autem inoffenso hic progrediamur pede, prænotandum est, quid sit secundum rem abstrahere, & quid secundum rationem. Abstrahimus proinde secundum rem, quando conceptus rei objectivus in materiâ non inest; id est: quando materiam planè excludimus, eamq; in nullo objecti statu admittimus. Secundum

rationem verò, quando conceptus rei obiectivus in materia non consideratur. Undè patet mediam inter has duas species non dari, nulla enim abstractio fit secundum rem & rationem simul; hæc n. materiam & prorsus excluderet, quia secundum rem esset; & non excluderet, quia secundum rationem esset: quod contradictionem infert.

XVII: Abstractio *Pneumatica* (aliàs *absoluta*, secundum rem seu essentiam) immateriales sibi tantum vindicat conceptus, materiam non saltem non supponentes, sed etiam planè respicientes. Et hæc ratione abstracta dicuntur illa, quæ in naturâ suâ omnem materiam planè respuunt, quo modo spiritus est abstractus. Veritatis proindè punctum non attingunt illi, qui abstractionem secundum rem & rationem simul Pneumaticæ assignant: præter enim id, quod talis abstrahendi modus non detur, ut § XVI evictum est: contradictorium est considerare tantum spiritus, & tamen abstrahere secundum rationem à materiâ, id est: admittere conceptus rebus materiatis convenientes: Quomodo enim Pneumatica, quæ spiritus tantum considerat ab eo, quod sub objectum ejus non cadit, abstrahere potest? imo; non desunt philosophi (inter quos est etiam Paulus Voëtius) qui negant in Pneumaticis dari *abstractionem* secundum essentiam à materiâ, ideò, quia hæc in spiritu præsertim infinito, nec fit, nec fuerit, nec coniungi cum eo unquam possit. Sitamen phrasis illa adhibebitur, accipi debet non *Privativè*, prout ut denotat rei à materiâ, quam habet, separationem; Sed *Negativè*, prout designat separationem rei à materiâ illi prorsus repugnante. ut in Theol. nat. habet Mejerus Disp. 4: probl. 5.

XVIII

XVIII: Abstractio *Metaphysica* seu secundum indifferentiam (*transcendentalem* sc. non *pradicamentalem*, quæ novum abstractionis modum non facit, ut loquitur Geilfusius intell. p. m. 97.) tales sibi vindicat conceptus, qui in formali suâ ratione materiam non involvunt, sed indifferentè communes sunt rebus materiâ carentibus eaq; præditis: ita Ens v. G. abstrahitur planeq; immune est conditionibus ad determinatam quidditatem restringentibus, & sub notione generalissimâ tantum concipitur, ut tamen & immateriatis, Spiritibus scilicet & materiatis, utpotè homini, equo, canis &c. conveniat. Conceptus proindè Entis non est abstractus secundum rem & rationem simul, ut quidam acriter contendunt, *obstat enim communitas illa entis, quæ etiam ad ipsa materialia accommodatur*, ut loquitur B. Scharf. Theor. Transc. p. m. 133. *itemq; illa non repugnantia entis ad materiam.* si enim metaphysica secundum rem à materiâ abstraheret, tum prorsus excluderet materiam, ut ex supra positis patet; sed conceptus entis obiectivus in inferioribus suis, quorum plurima v. g. cælum, homo, bestia, &c. materiata sunt, intimè imbibitur; materia proindè excludi nequaquam debet. conf. B. Sperling. med. de subt: p. m. 67. Quod vero Thomas ens propterea dicit abstractum secundum rem & rationem, quod ab unâ parte abstractis essentijs insit, ridiculum putat Arnisæus, Epit. met. p. m. 16. cum eadem ratione totum ens materiale dicere possemus, quia secundum unam partem materiatis inest. rectè proindè B. Sperlingius Medit. 12. de subtil. p. m: 348. *Metaphysica non competit abstractio à materiâ secundum rem & rationem, essentiam enim multorum entium materia ingreditur.*

XIX: Abstractio *Physica*, quæ à materiâ singulari seu

B 2

signa-

signata (sic dicta, quia indicatur signaturq; per condi-  
tiones individuantes, veluti per esse hic & hoc, nunc  
& tunc) tantum abstrahit, tales format conceptus, qui  
rebus quidem solum materiatis conveniunt, non tamen  
individuantibus. sic Physicus ipsum corpus à materiâ ab-  
strahit, non quidem omni, sed singulari tantum: co-  
gnoscendo enim corpus, non cognoscit illud, implican-  
do in cognitione suâ Petri vel Pauli materiam, sed ab  
omnibus conditionibus individuantibus corpus abjunc-  
git. individuum ergò hoc vel illud in Physicis scien-  
tificè tractari nequit; sic enim arguimus: Scientia Phy-  
sica aut abstrahit à materiâ, aut non; si posterius; ergò  
omnia individua in physicis tradenda sunt: si prius; Er-  
gò nulla. Quidquid enim abstrahit à materiâ signatâ,  
id singularia non considerat. undè B. Sperlingius Pro-  
baturus Physicam esse scientiam inter esse specificum  
& numericum accuratè distingvit. instit. Phys. p. m. 23.  
conf. Exc. Thur. cont. Phys. inq. 3. p. 37. & seq.

XX: Abstractio *Mathematica* res à materiâ non indivi-  
dua tantum & singulari, sed etiam universali solâ rati-  
one abstrahit. ita v. G. licet objectum Mathesios nun-  
quam abq; materiâ dari possit, in hâc tamen concre-  
tione à Mathematico minimè spectatur: sic Mathema-  
ticus considerat quadrangulum, non attendendo mate-  
riam seu corpus, in quo existit, sed istius definit figu-  
ram quatuor angulis comprehensam, nulla facta mate-  
riæ mentione. Hanc abstractionem faciunt authores  
duplicem Geometricam & Arithmetica. Quam eti-  
am Michaël Watsonius *solam* admittit in unione sap.  
Sect. 3. part. 1. sed citra evidentem rationem. Adscri-  
bam verba ejus, ut mens veriamans eò melius capiat,  
veri quid subsit; ita n. loquitur L. c. pag. m. 130. *Res*

Meta-

*Metaphysica non indigent mentali abstractione, sunt in se' extra  
materiam posita, ut prima principia, substantia immobilis. Res  
Physica non sunt Abstrahenda, sed contemplanda in materiâ  
motus aut generationis. Objecta Phil. practica non sunt abstra-  
henda è civili & domesticâ societate, &c. Absurdum itaq; &  
vanum est in reliquis philosophiæ partibus, exceptâ solâ Mathema-  
ticâ purâ, credere & indulgere abstractionibus.* hæc ille.

XXI: Abstractio *Ethica*. (à potissimo analogato sic  
dicta) quæ secundum universale est subjectum, quâ sin-  
gulare abstrahitur subjectum, universali servato. sic vir-  
tutes morales, officia magistratus & subditorum, paren-  
tum liberorumq;, non *concretivè* considerantur, prout  
sunt in hoc vel illo subiecto, sed *abstractè*, quatenus ad o-  
mnia individua indifferentèr se habent. Hanc abstra-  
ctionem in dubium vocat Scheiblerus op. log. Petrum  
Fonsecam sequutus, hâc potissimum ratiocinatione:  
*Quod practicarum disciplinarum finis est per actionem consequi  
summum bonum; hoc verò in singularibus consistit, actionemq;  
circa singularia requirit. In practicis ergò disciplinis abstra-  
ctio non videtur necessaria.* verum hic dist. inter actiones  
prout sunt in rerum natura, & ita singulares eas esse ul-  
trò largimur: & inter actiones prout nostris substant  
conceptibus, sic enim à singularibus abstrahuntur & in  
communi considerantur. conf. Nobiliss. Du. *Gyllenstål-  
pen* coll. Eth. p. m. 31 & 32. Exc. M. Thur. Tract. de  
philosophia in genere. From. Gnost. p. 53. Geilf. intell.  
p. m. 21. Libenthal coll. Eth. p. 26. &c. Qui quidem  
omnes concedunt in practicâ etiam aliquam abstracti-  
onem (quatenus ibi non primariò de hujus vel illius  
Temperantia, fortitudine, frugalitate, &c. agitur, sed  
de his virtutibus & ceteris in genere & abstractè) lo-  
cum habere, cum hæc etiam *γνώσις* non planè nullâ

B 3

habe-



habeat. Sed quo nomine illa abstractio veniet, paucissimi philosophi expressere: eo tamen, quod hic exprimitur, hanc vice contentus sum, meliora monenti parere paratus. Et tantum de natura & constitutione abstractionis, sequitur ejusdem

### U S U S:

XXII: Abstractionis tanta est utilitas, ut omnem scientiam tollat, qui hanc tollit; hæc enim medium illud est quod in distinctam rei cognitionem nos deducit unice: hæc est medium illud, quo omnem apprehendere veritatem possumus. Hæc abstrahit 1: *Substantialia ab accidentalibus*: ut enim illa ab his realiter distinguuntur, ita etiam distincto conceptu exhibenda sunt. sic concipimus corpus non consideratâ qualitate. 2. *Essentialia à Circumstantialibus*: sic concipimus essentiam non conceptis circumstantiis loci vel temporis &c. 3: *Naturam à modis*: sic consideramus objecta disciplinarum, non consideratis adfectionibus. 4: *Essentiam ab adventitijs defectibus*: sic peccatum, tanquam vitium accidentale, à naturâ humanâ abstrahitur. 5: *Generalia à singularibus conditionibus*, ut res in ideâ silti possit & 6: *è statu singularitatis in universalem vel eminentem deducit.* &c. vide §. XII: Usus a. abstractionis in specie circa limitationem objectorum disciplinarum ostendit Exc. Thur. comp. Met. p. 14. his verbis (quæ etiam in ceteris disciplinis, adhibitâ tamen justâ discretionem, locum habere possunt) *ut amplitudo objecti Metaphysici exactè circumscribatur, utq; expedita detur ratio, omnes difficultates, quas formale quatenus Ens, tollere non potest, ritè solvendi; abstractio primæ Philosophiæ diligentèr est attendenda,*  
quæ

quæ ceu medium quoddam ens in statum objectivum provehit, additq; ipsi indifferentiam ad materialia & immaterialia. Summatim: abstractionis munere composita & concreta quæ sunt, distinctè concipiuntur & apprehenduntur; quæ sunt confusa & intricata, distinctè explicantur & ordinè digeruntur.

XXIII: Cum enim mens nostra omnia individua apprehendere nequeat, opus est inquisitione formalis rationis, in quâ omnia conveniant, quæq; in omnibus sit radicata, id quod præstat abstractio; hoc pacto: quando scilicet intellectus noster non acquiescit in ijs, quæ rebus seu conceptibus inesse deprehenduntur, pro ut in his vel illis subjectorum conditionibus existunt; sed ulterius progrediendo, quid conceptus de se & præcisè in suâ formali ratione formatus importet. Quod enim de materiali rei vel termini est, id in formale ejusdem non est inferendum, ut loquitur Exc. Thur. comp. Met. p. 62. sic ratio in ultimâ abstractione sumptâ dicit Esse Ad (Non Esse In) h. e. respectum ad alium terminum, quo illud esse relativum terminetur. Non omnis proindè ratio accidens est, sed tantum prædicamentalis. hæc usum habent in relatione illâ mysticâ, quæ in divinis locum habet: de quâ Rev. Theologi. sic generatio abstractè & formalitèr infert essentiæ communicationem, sive illa communicatione conjuncta sit cum effectione, ut in creaturis; sive nō conjuncta cum effectione, ut in generatione divinâ. vide D. Calov. Syst. Theol. Tom. 3. p. m. 536. Sic de formali substantiæ est per se subsistere (quod comodissimè negativè exponitur, ut idem sit ac nō esse in alio tanquâ in subjecto; quod observâsse oportuisset illos, qui hominem substantiâ esse sine judicio negant) substare verò Acciden-

ribus

atibus specialis est conditio substantiæ creatæ. Et ita in sexcentis alijs. Hoc, si non modò in Philosophiâ, sed etiam in omnibus penè disputationibus probè observaretur, non sanè tot ancipites & maximam partem iniquæ passim audirentur opiniones.

XXXIV: Huc faciunt etiam sequentia, in quibus abstractionis non minimus usus, qualia sunt 1: *Ampliatio termini*, quæ tum instituitur, dum terminus simplex datâ re aliquâ, cui non quadrat contractus, magis magisq; extenditur atq; ita abstrahitur, ut sine discrimine ipsius rei, ipsi appropriari possit. Sic vox E. G. principij amplianda est ut sine illatione dependentiæ aut principij concipiatur, antequam tribuatur Patri in divinis. Conf. Exc. M. Thur. comp. Met. pag. 209. 2: *Analogia*; quâ aliquid pluribus inæqualiter per prius & posterius tribuitur. sic Deo E. G. & creaturis in prima philosophiâ adfectiones entis tribuimus, verum diversissimâ ratione, illi enim per prius, his v. per posterius competunt. 3: *Liberatio termini ab omni imperfectione*; quâ omnis impuritas materiali termini alicuius adhærens, quæ in analogato minus principali occurrit, in elevatione ad analogatum primarium remouetur. Et 4: *Perfectionis eminentis attributio*; quæ tum contingit, quando perfectio in analogato minus principali observata, principali eminentè & perfectissimo modo tribuitur. sic multa sunt prædicata creaturis competentia, & in quibus sunt accidentia, quæ tamen Deo competunt, sed cum remotione imperfectionis & eminenter. Et tantum de abstractione (quâ veritatem consequimur) ejusq; usu, restat ut agamus

## II. DE CONCEPTU.

XXV: Ut a. cognitio in mente nostrâ generetur, intelle-

intellectus & rei intelligibilis unio requiritur. Iam verò nulla res à seipsâ exire, & eadem manens ad intellectum penetrare potest, in quo figat sedem, ut rectè loquitur Scaliger: Fieri hoc proindè non potest secundum esse reale: aliàs intelligentes uestionem, ureremur; & intellectus caperet plurima seipso majora; quod absurdum. Existimandum ergò est hoc fieri secundum esse intentionale, beneficio Conceptus, per quem intellectui nostro sese sistit & præsens fit. huius ergò naturam & usum breviter considerabimus.

XXVI: Conceptus dicitur à concipiendo: concipere verò sumitur tum *proprie*, prout genitrici competit; tum *Metaphoricè*, quatenus per quandam similitudinem adhibetur, & idem est, quod mente volvere seu agitare. Et hæc acceptio huius est loci. rationem verò denominationis hanc dat Valentinus Frommius: Gnost. p. 61. *Sicut ex congressu maris & femina intra uterum fetus concipitur, qui per nativitatem in lucem editur: ita ex concursu & unione objecti cum intellectu species intelligibilis, quam verbum mentis vocant, concipitur, quâ mediante objectum ipsum in mente representatur,*

XXVII: Ut a. concipere dupliciter accipitur, ita conceptus *Proprie* & *Metaphoricè* sumitur. de hæc acceptio, ne nobis hic cura erit. ad Homonymiam sequentes distinctiones nominales referre solent authores, utpotè quando conceptus est 1: *Verus*, qui rem extra intellectum representat, ut illi respondeat: vel *Falsus*, cum res per ea quæ planè non habet, concipitur, ut cum Leonem per arborem concipio. ille huius est loci. 2: *Equivocus*, qui nudum nomen citra essentiæ identitatem representat: vel *Synonymus*, qui essentiæ rationem una cum nomine inferioribus tribuit; qui etiam hic attenditur. 3: *Forma-*

ly, qui est species in mente ab intellectu ex phantasmate formata, objectum representans. de hoc hic sermo est. vel *objectivus*, qui nihil est aliud quam ipsa res objecta, prout ea in prospectu potentiae cognoscentis est, simulq; movet & terminat intellectionem formalem ipsius intellectus contemplantis. Sic dum intueor leonem, in intellectu formatur species leonem illum representans, & hac species dicitur *conceptus formalis*, sicut ipse leo extra mentem, *conceptus objectivus*, vel ut Planius loquamur, *res ipsa intellectui objecta* & *conceptus leo*.

XXVIII. *Conceptus namq; objectivus rectius vocatur*, verba sunt Scharfij, Met. Exempl. p. 19. *res concepta, res intellecta. Non enim proprie est conceptus mentis, sed saltim extrinsecè ita dicitur, quatenus ipsa res sit objectum intellectionis & conceptionis.* in eandem sententiam loquitur Casp. Bartholinus: Ench. met. p. m. 4. *conceptus objectivus denominatione extrinsecà ita dicitur; habito respectu ad conceptum formalem.* conf. D. Calovium Gnost. p. m. 15. & Val Fromn. Gnost. p. m. 62. Quamvis ne externam quidem hie denominationem admittat Adrianus Herrebord / melet. ph. vol. 1. d. 49. Cum denominationes externae dicantur de rebus oratione obliqua & *παρονομασ*, non a. oratione recta & *συνονομασ*, ut enim non dico: *miles est vestis*, sed *vestitus*; ita eadem ratione res objecta non dici potest conceptus, sed res concepta. duo enim ad conceptum proprie requiruntur 1: ipsum objectum. 2: ipsa conceptio. objectum a. se habet ad conceptum, ut prototypon ad suam imaginem. Iam verò ad imaginem requiritur tum processio à prototipo, quod conceptus vulgo dicitur *objectivus*, tum similitudo seu conceptus *formalis*.

XXIX: *Conceptus Synonyma sunt: νόμα, latinis*  
*notio*

*notio*, latè sumpto hoc termino; quia mens per conceptum aliquid cognoscit & apprehendit. item *intentio*, quod mens per conceptum hunc in rem quasi intendat. vocatur itidem *imago, idolum, formalitas*, Scaligero *pons* seu *portitor* ex eo, quod per conceptum intellectus noster sese inferat in rem, perq; eundem suam producat intellectionem. item *idea*; voce græca, sed latinitate donata. sequitur *Ratio Formalis*:

XXX: *Conceptus est species ab intellectu formata, representativa scibilis in mente, ut in se est distinctè cognoscendi.*

XXXI: *Vicem generis in datâ definitione subit species; hæc enim pluribus speciei scilicet sensibili & phantasticæ, de quâ Physici, competit. differentia verò sumitur 1: à Subiecto, intellectu scilicet patiente. 2: Formali, ipsius objecti representatione. 3: Causis, partim efficiēte, quæ est intellectus agens, partim fine, qui est cognitio distincta. vide Mejerum. hæc verò ut eò melius innotescant, modum intellectionis brevissimè subjungam.*

XXXII: *Intellectio fit hoc modo: omne sensibile spargit & diffundit à se species sui in partes omnes, easq; primò apprehendunt sensus externi; cum sint primi quasi ianitores mentis nostræ: à quibus deindè deveniunt ad sensus internos, nempe primum ad sensum communem, qui regis instar & iudicis in throno sedentis, ab externis illis velut ministris fidelibus species accipit, easq; à se invicem & communibus distingvit: ab hoc deferuntur ad phantasiam, quæ species à sensu communi ad se delatas diutius retinet, alius examinat, spiritualiores reddit, novatq; indè elicit. Undè nil tam ineptum, inquit Spert, quod actu inter somnia non representet.* Et hæcenus sensus

alis tantum rei fit perceptio, quæ ut distincta & perfecta reddatur, accedat necessum est intellectus agens (de hoc ut & patiente videatur Sennertus Epit. nat. scientiæ p. m. 562. & Sperl. Anthr. p. m. 135.) qui speciei sensibili ad phantasmam delatæ iunctus, phantasma fulgore suo illustrat, & ex eo non tanquam ex materia, sed ut ex ideâ & exemplari, speciem intelligibilem producit, & ex potentia intelligibilibus actu facit intelligibile. Intellectus vetò patiens speciem hanc intelligibilem recipit, receptam ponderat dijudicatq;. Et sic tota absolvitur intellectio. Confer Joh. Bayeri lucem mentium part. 1. c. 2. memb. 6. §. 3. pag. 114.

XXXIII: De specie verò hâc intelligibili si quæras, substantianè sit an accidens? R. est accidens: intellectui enim inhaeret, non secus ac sapientia, scientia &c. sed excipis: quomodo substantia per accidens cognosci possit? R. ut per ideam. si enim cœlestem ex imagine cognosco, cur non ex specie & cum specie rem? Dicis, quomodo accidens simile erit substantiæ? R. Non iam accidens, ut accidens; sed ut tale accidens spectandum, ut idea est, ut imago est. In imagine verò duo notanda, Similitudo & expressio seu processio. Species verò tum sensuales, tum intelligibiles & similitudinem habet & expressionem.

XXXIV: Non valet ergò exceptio Platonicorum dicentium 1: inter speciem & objectum nullam esse similitudinem, cum differant naturâ. 2: species objectis nobiliores esse; cum incorporeum corporeo nobilius sit. Nam R. 1. distinguendo inter similitudinem secundum essentiam & naturam: & inter similitudinem repræsentationis, seu talem, quæ est inter signum & signatum: posterior hic locum habet & sufficiens est. 2: Non sequitur species, quamvis incorporeæ sint, objectis præstantiores esse; signum enim signato nobilius

NON

non est; at species signa sunt, accidentia sunt: non res signatæ seu substantiæ spirituales.

XXXV: De conceptu verò inter Philosophos controverti solet, an hic etiam singularium sit? quidam affirmant, quidam negant. à partibus affirmantium (supponentes tamen de conceptu proprio, non communi, h. l. sermonem esse) stabimus, sequentibus rationibus moti. 1: quia intellectus universalia à singularibus abstrahit; hæc à se invicem & ab universalibus distinguit; Deumq; qui singularissimus est, cognoscit; ergò singularia cognoscit. 2: amamus singularia; ergò cognoscimus; quia nil volitum, nisi prius cognitum, conf. Scal. exerc. 307. S. 16. Sperl. Anth. p. m. 127. & Mejer. Gnost. p. 214. *Nec obstat 1. quod intellectus sit materia expertus, singularia verò in materia facem demersa.* Nam hic non urgenda similitudo naturæ, sic enim nullum sensibile vel à Deo vel ab Angelo perciperetur, sed iusta tantum convenientia, de quâ §XXXIV. egimus. deindè nec omnia singularia materialia sunt, ut Deus, Angeli, anima rationalis &c. hæc ergò ab intellectu cognoscerentur. præterea entia materialia sine materia recipiuntur à sensibus, ergò multo magis ab intellectu. *Nec 2. inter intellectum & sensum hac ratione discrimen tollitur.* Nam sensus circa sola singularia occupatur; non item intellectus, qui & singularia & universalia cognoscit. Notantè rem exprimit B. Sperlingius, l. c. inquit: *Sensus singularia capit exclusivè, intellectus inclusivè.* Conf. Theol. nat. Mejeri disp. 7. probl. 3. sequuntur divisiones conceptus:

XXXVI: Conceptuum divisiones cum Scholasticis infinitas fingere nolumus, nec inanes aucupabimur subtilitates. Conceptus est: *Primus a:* qui est conceptus

C 3

ex re

ex re ipsâ intellectâ formatus, rem ut in se est, directè & immediatè repræsentans. dicitur alias notio prima. sic cum canem concipimus, species illa, quam in mente concipiendo efficimus, est conceptus primus; vel *Secundus*, qui est conceptus rei in mente mediatu, conceptui primo superveniens: dicitur aliàs notio secunda. ut genus, species &c. *Notio a. prima non est res ipsa extra mentem posita, ut quidam opinantur: Aliud namq. imago mente concepta, qualis imago notio prima est; vide Exc. Thur. instit. log. p. 32. aliud res extra mentem posita: imo notio prima dicitur aliàs conceptus formalis, qui à re extra mentem realiter semper distinctus est.* Egregie Geilfusius: intell. p. 137. *Notiones prima sunt in intellectu idealitè, uti se habent res extra mentem fundamentalitè.*

XXXVII: *β. Simplex*, qui est cognitionis simplicis primam intellectus operationem constituentis, ut conceptus solis, hominis &c. vel *complexus*, qui cognitionis complexæ, secundam & tertiam operationem intellectus constituentis, ut cum solem concipimus ut corpus, hominem ut animal. *γ. Univocus* qui inferioribus suis nomen & definitionem tribuit æqualitè & uniformitè: vel *analogus*, qui nomen & definitionem inferioribus inæqualitè adsignat. huius distinctionis, ut ceterarum in controversijs philosophicis multiplex usus est.

XXXVIII: *δ. Perfectus seu distinctus*, quo objectum perfectè repræsentatur, per principia essentialia, è quibus immediatè constat. sic cum hominem concipimus ut animal rationale, adæquatum habemus conceptum: vel *imperfectus seu confusus*, quo objectum imperfectè repræsentatur, sive per ea ex quibus constituitur mediatè, sive per alia, quæ essentialiam constitutam insequuntur: sic cum concipimus hominem ut corpus naturale est, ut  
sub

substantia est, ut risibilis est &c. conceptum habemus inadæquatum. Et hinc cognitio est distincta vel confusa. conf. Sperl. Anthr. p. 176. & Exc. Thur. comp. Met. p. 65.

XXXIX: *ε. Quidditativus*, qui totam rei essentialiam & omnia sistit prædicata essentialia usq; ad ultimam differentiam: vel *Quidditatis*, qui non totam essentialiam, sed quædam tantum prædicata repræsentat. *ζ. Convenientia*, quando genus vel conceptus latior concipitur: vel *distinctionis seu differentia*, cum differentia vel conceptus formatur strictior. hæc distinctio in definitionibus locum habet. Et tantum de naturâ conceptus, quo veritatem à nobis possideri supra dixit Calovius, adductum sit, sequitur eiusdem

## U S U S.

XL: Conceptus quanta sit necessitas & utilitas vel hinc, ut alia mittamus, evidentè patet, cum sine rerum ideis nil cognoscere possimus. his enim si intellectus nostro destitutus esset, inanis & omni cognitione vacuus esset. abstractio quidem cognoscendi amovet impedimentum; verum conceptus rei repræsentat formalem rationem. Simulacra rerum mens format abstrahendo; ad res ipsas ea conformat concipiendo; & sic tandem verum possidet cognoscendo. confer §. XXV. *Horum, ut & ceterorum omnium, usus prolixè, si singulas distinctiones hoc pacto percurrere animus esset, monstrari posset, sed cum ex ijs, quæ adducta sunt, partim pateat, partim apud Philosophos abundè proflet, hisce diutius non immorabor.* dissertationem proindè hanc devotâ hæc *δοξολογία* claudam:

Gloria sit Patri, sit Nato gloria, Sancto  
Gloria Spiritui, TRIADI sit gloria sacræ.

*Viro - JUVENI, eximia Eruditione & Humanitate polito,*

DN. PETRO PLATINO Smolando, Philosophiæ Candidato meritissimo, Amplissimi Consistorij Academici Vice-Secretario fidelissimo, sympatriotæ & Amico meo sincere dilecto, pro summis in Philosophia honoribus obtinendis accurate disputanti, pauca hæc, inter varia impedimenta, apposui.

**Q**uid memorem multis, patriota adamande PLATINI  
Lumina clara inter qui numerere sophum? (NE,  
Nam pietas, constansq; ardor, quò scripta Virorum  
Versasti Doctum, sic meruere satis!

L. Mq;

OLAUS WEXIONIUS

J. U. D. & Prof,

*Ad eundem.*

**A**lij alia studia amant. Tu naturæ tuæ bonitatem secutus, Musis operas  
Arj maluisti. Quarum quàm strenuus fueris cultor, almæ ad Auram  
restantur Athenæ. Quoties enim diligentiam tuam antelucana tempora  
novère? Quoties labores dies meminit? Quoties nox atra invidium stus  
dium? Et quod ad gloriam adhuc illustrius; Quoties publicam tuam vocem  
cum laude percepimus? Quod Superest, cape iam illud honoris philosophis  
ei decus, quod meruit virtus, meruere cura & labores. I nunc tot molestis  
arum victor, quas studijs excolendis sæpè accommodatioris esse Tuo Exerme  
plo didicimus. I nunc quò te natura tua trahit, & egregiæ animi dotes  
admittunt. Tantum moneo, ut in studijs etiam Modum observasse salus  
tis partem existimes. Quem quia ægrè tenere potest insignis ille in te li-  
terarum amor: Supplex Deum veneror, ut vires addat, addat successus.  
Sic fiet, ut magnorum tuorum donorum olim præfagia ritè implementura  
Et nos, quod hætenus iucundâ cogitatione præcepimus, in posterum laxiori  
ventu experiamur. Quod ut feliciter eveniat, tantò constantius precor, quò  
sanctiora sunt jura nostræ amicitie. Vale.

Tuus

MAGNUS BAAZ.

